Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt nullus secularis alicui ex clero vim inferre præsumat. xxxvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De illis qui conuicti fuerint fratribus, falſa crimina obieciſſe. Cap. XXXIIII.

EOS, qui fratribus ſuis capitalia crimina obieciſſe cõuicti fuerint, placuit vſque ad exitum non communicare, niſi digna ſatisfactione pœnituerint. *Ex cõcil. Agathẽ. cap. 6.*

De illis teſtibus, qui aliquem ex ſacro ordine accuſare pertentant, & vt quiq; optimi, & fideliores in teſtimonium aſſumantur. Cap. XXXV.

PLacuit ſancto conuentui, vt teſtes ad teſtimonium dicendum precio non conducantur, & vt quiq; optimi, & fideliores in teſtimonium aſſumantur, vt is contra quem teſtimoniare debent, nullam eis infamiam poſſit inferre, & vt nullus teſtimonium dicat, niſi ieiunus. *Ex cõcil. Matiſcẽ. cap. 5.*

Vt nullus ſecularis alicui ex clero vim inferre præſumat. Cap. XXXVI.

QVicunque iudex aut ſecularis presbytero, aut diacono, aut cuilibet ex clero, aut de iunioribus abſque audientia epiſcopi, vel archidiaconi, vel archipresbyteri, iniuriam inferre præſumpſerit, anathema habeatur. *Ex cõcil. apud Theodonis villam habito, ca. 10*

Quòd mariti vxores ſuas ex ſuſpicione accuſare poßint. Cap. XXXVII.

MAritis ſanè etiã ex ſuſpicione vxores accuſare permiſſum eſt, & ipſi plus cæteris de adulterio, & accuſare poſſunt, & defendere. *Ex cõcil. Pariſiẽſi, cap. 3.*

FINIS Libri decimiſexti.

INDEX CAPITVLOrum Libri Decimiſeptimi.

DE muliere, quæ cum duobus fratribus fornicata eſt. Caput i.
De eadem re. ii.
De illo qui cum duabus ſororibus fornicatus eſt, quarum vna vxor fuerat. iii.